

- IV, 43. XLIII. Hiemps fuit durissima perdurans usque ad finem Martii mensis, et duo filii imperatoris id est Pippinus moritur et Karlus moritur.
- IV, 44. XLIIII. Facta est conturbatio non minima in monasterio sancti Bonifatii, et fratres XII ex ipsa familia perrexerunt simul cum abbate Ratgario ad iudicium imperatoris Karli, nec tamen ita commotio illa quieuit, sed post Riholfus archiepiscopus Magontiacensis et Bernharius episcopus civitatis Wangionum et Hanto episcopus Augustensis et Wolgarius episcopus ecclesiae Wirzaburg cum ceteris fidelibus, qui simul ad illum placitum convenerunt iussu imperatoris, sanaverunt commotionem illam in monasterio sancti Bonifatii. Eo anno dedicata est ecclesia sancti Iohannis baptistae in australi parte monasterii iuxta flumen Gisalahha.
- IV, 45. XLV. Richulfus archiepiscopus Magontiacensis ecclesiae defunctus est V. Idus Augusti; et placitum magnum in mense Augusto ad Aquis factum est, et Karlus imperator constituit Hlodoveum filium suum simul imperare cum eo, inponens diadema capiti eius; post sinodum in Maio mense habitum apud Magontiam, in quo praesiderunt Riulfus archiepiscopus et Hiltibaldus archiepiscopus Coloniensis.
- V, 1. I. Karlus imperator moritur ad Aquis V. Kal. Febr. die sabbati anno dominicae incarnationis DCCCXIII, indictione VI^a, et regnavit Hlodoveus filius eius pro eo. Eo anno placitum suum cum Francis imperator Hludowihus habuit Kalendis Augusti mensis, et legati Graecorum auxilium petebant ab eo contra Bulgares et caeteras barbaras gentes. Eo tempore Hierusolima vastata est a Persis, et persecutionem magnam in orientalibus partibus christiani habebant. [Hrabanus ordinatur ad presbyterum X. Kal. Ianuarii ab Heistolfo episcopo Magontiacensi]^b.
- V, 2. II. Hludowihus imperator suum placitum cum Francis in Saxonia ad Phaderzbrunnen habuit, et illuc venit filius eius Hludharius rex Baiorum et alius filius eius, id est Pippinus rex Aequitaniorum, Bernhartus quoque filius Pippini rex Langobardorum, et erat illud placitum Kal. Iulii mensis.
- V, 3. III. Anno III. Hludovichi^c factum est concilium magnum in Aquisgrani in mense Augusto et praeceptum est, ut monachi omnes cursum sancti Benedicti cantarent

a) Pertz irrthümlich '3'. b) Das in Klammern gesetzte von jüngerer Hand. c) 'Hludovichi' korr. aus 'Hluduvichi'.